



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. III. An & quam gratiam interiorum Pelagius admiserit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

logos. Sed difficultas est, & gravis controversia inter Thomistas & Neoplatonicos, an Pelagiani, præter gratias illas extrinsecas, tandem aliquando gratiam internam ad se trahunt: subindeque præter duos istos Pelagianæ hæresis jam expositos, tertius admittere ducitur? Pro cuius resolutione sit.

ARTICULUS III.

An & quam gratiam internam Pelagius admisit?

Notandum primo, gratiam internam dividi in habitalem, per quam formaliter sumus intrinsecè iusti & filii Dei adoptivi; & actualem, quæ datur ad operandum, & cum ipsa operatione transit, istamque rursus dividi in prævenientem, quæ operationem antecedit, saltem prioritate naturæ, & concomitantem seu cooperantem, quæ operationem comitatur, ac immediate in ipsam influunt, unde à quibusdam gratia cooperationis, seu coefficientis appellatur.

Notandum secundo, quod cum duæ sint potentie in homine, intellectus scilicet & voluntas, duæ etiam gratiæ interne in eos operari possunt: una quæ se teneat ex parte intellectus, ipsamque illuminet; alia quæ afficiat ipsam voluntatem, eamque, ut ita dicam, immediate tangat & immutet. Hæc verò contritus duplex esse potest: unus purè moralis ac metaphoricus, qui fit medio obiecto proposito, à quo allicitur & trahitur ipsa voluntas; quem Augustinus Tractatu vigesimo sexto in Joannem explicat, exemplo ovis, quæ ostensione tami viridis trahitur, & pueri qui demonstratione pomi vel nucis ad currendum incitantur: *Ranum* inquit, *viridem ostendit ovi, & trahit illam; nucis pueri demonstrantur, & trahuntur*; alter realis est & physicus, qui fit per realem & physicam voluntatis inclinationem, aut, ut loquitur Augustinus, per subministrationem spiritus & virtutis. His præmissis,

Dico primo, Pelagium non solum gratiam externam, consistentem in manifestatione Evangelii, & exemplis Christi, sed etiam internam spiritus sancti illustrationem agnovisse, post multas tandem disputationes cum Divo Augustino, & aliis SS. Patribus habitas; subindeque tertium Pelagianæ hæresis statum esse admittere ducim.

Probatur ex Augustino libro de gratia Christi cap. 7, ubi refert verba Pelagii dicentis: *alluvit nos Deus per revelationem & doctrinam, dum cordis nostri oculos aperit, plura futura demonstrat, dum diaboli pandit insidias, dum nos malis formis & ineffabili dono gratiæ celestis illuminat*. Quibus verbis aperte agnoscit Pelagius donum gratiæ celestis illuminantis intellectum, & non solum doctrinam, & legem externis manifestatam. Unde idem Augustinus cap. 11. ejusdem libri affert tanquam exemplum hujus revelationis, sapientie, & doctrinæ, illam altissimam revelationem, quæ sancto Paulo data fuit, quæ sine dubio intus non potest fieri, nisi, Deo intrinsecè manifestante veritatem. Quod tamen quia nequaquam ad bene vivendum sufficit, nisi intus simul etiam afficiatur ipsos voluntatis operetur. Hinc infra capite 24. Pelagianam illam opinionem refellens, dicit: *Legant ergo & intelligant, intueantur atque fa-*

teantur, non lege atque doctrinâ in sanante foris secus, sed internâ atque occultâ, mirabilis atque ineffabilis potestate, operari Deum in cordibus hominum, non solum veras revelationes (ut fatebantur Pelagiani), & illucere credebant, sed etiam bonas voluntates.

Confirmatur ex eodem Augustino cap. 41. e. 19 ejusdem libri, ubi hæc scribit: *Ipsam verò doctrinam quæ possibilitatem naturalem per dicitur adjuvare, in lege constituit atque doctrinâ, quam nobis facit etiam sancto Spiritu revelari, propter quod & adorantiam esse contendit. Sed adoratio non debetur legem & doctrinam externis tantum revelantibus, nam hoc potest fieri Angeli vel hominis ministerio: Ergo Pelagius non solum externam, sed etiam internam doctrinam revelationem admisit.*

Dico secundo: Pelagius non solum illustrationem in intellectu, sed etiam excitationem & motionem moralem in voluntate agnovit; sed per hoc à commendatione legis & doctrinæ non recessit.

Prima pars probatur ex Augustino libro de gratia Christi capite decimo, ubi Pelagium sic loquentem, & hæc verba apostoli: *Deus operatur in nobis velle*, sic exponentem inducit: *Operatur in nobis velle quod bonum est, velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, mutorum mere animalium tantummodo præsentia diligentes, futura gloriæ magnitudine, & prætorum sollicitudine succendit, dum revelatione sapientie, in desiderium Dei stupentem suscitât voluntatem, dum nobis (quod tamen alibi negare non metuit) suadet omne quod bonum est. Ubi expendenda sunt illa verba: quod tamen alibi negare non metuit, quibus sanctus Doctor significat, Pelagium initio quidem negasse internam illuminationem intellectus, & suasionem, seu excitationem moralem voluntatis, quæ fit à gratia, postea verò (id est post Concilium Chalcedonense, & pluresque concertationes, cum ipso Augustino & aliis sanctis Patribus habitas) utramque admisisse. Unde Petavius libro de Pelagianæ & Semipelagianæ hæresi capite nono, numero undecimo hæc scribit: *Adhibuisse Pelagium gratiam aliquam qua voluntas excitatur, ostendunt ipsius verba, quæ citat Augustinus 1. de gratia Christi capite decimo, ubi ait revelatione sapientie in desiderium Dei stupentem excitari voluntatem. Sed hanc gratiam in sola intelligentia & cognitione ponebat; alteram autem, quam præcipue querebat Augustinus qua voluntas ipsa proxime ac per se moveatur, necessitatem esse deest, ubi liberatus inimicam, ut Iulianus ait apud Augustinum lib. 1. cap. 95. operum imperfecti.**

Quod autem per hoc à commendatione legis & doctrinæ non recessit, idem Augustinus verbis immediate sequentibus aperte declarat, subdicens: *Quid manifestius, nihil aliud enim dicere gratiam, quàm Deus in nobis operatur velle, quàm legem atque doctrinam? In lege namque & doctrinâ sanctarum scripturarum, futura gloriæ atque prætorum promittitur magnitudo: ad doctrinam etiam pertinet cum suaderetur omne quod bonum est. Ex quibus verbis hoc argumentum desumo. Munus & officium legis & doctrinæ est docere, illuminare, ostendere quid faciendum sit, & ad id hortari ac suadere; non verò dare vires ad id faciendum & implendum, ut fuscè prosequitur Augustinus toto libro de spiritu & littera: Sed interior illa revelatio, & moralis excitatio, quam Pelagius admisit, habebat solum docere, ostendere, manifestare, illuminare, exhortari, suadere, &c. non autem spiritum & virtutem infundere, seu voluntatem infirmam sanare, roborare, & ad*

agen-

agendum applicare : Ergo gratia illa Pelagii à A
commendatione legis & doctrinæ non recede-
bat. Unde Pelagius Epistolâ ad Demetriadem,
vixit illum exhortans ad sanctitatem, torus
est in commendanda gratia illa legis & doctri-
næ, & consideratione exemplorum Christi, alio-
rumque id genus, concludens cap. 27. Tunc senties
quantum ad eum amorem adiuverit te sapientia, quantum
sit in te divina legis auxilium.

22 Ex quo intelliges primò, veram Christi gra-
tiam (qualem Augustinus admittit) non tantum
illuminare intellectum, & excitare voluntatem,
sed etiam eam intus reformare, ac immutare, ut
egregie declarat D. Prosper in carmine de ingra-
tis, his verbis;

Non hac confilio tantum, hortatuque benigno,
Suadens atque docens, quasi normam legi haberet.
Gratia, sed mutans intus mentem, atque reformans,
Vixit novum ex fracto singens virtute creandi.

23 Intelliges secundò: quòd quando SS. Patres
Pelagii errorem referentes, dicunt illum docuisse
hominem per liberum arbitrium, solâ legis &
doctrinæ manifestatione adjuvum, posse imple-
re mandata Dei, & vitam æternam promereri,
per hoc non intendunt negare, Pelagium gra-
tiam interioris illuminationis & moralis excita-
tionis admisisse; sed volunt tantum utramque
hanc gratiam, quam Pelagius admisit, ut ex Au-
gustino ostendimus, ad gratiam legis & doctri-
næ reduci, & sub ea comprehendì; cum propriû
legis & doctrinæ sit illuminare intellectum, ju-
xta illud Proverbiorum sexto. Mandatum lucerna
est, & lex lux; subindeque moraliter & objective
excitare voluntatem ad bene agendum. In ego-
dem sensu loquutus est sanctus Thomas quòdli-
beto quinto articulo septimo, dum dicit: Caven-
dus est error Pelagii, qui posuit quòd per liberum arbitri-
um homo poterat adimplere legem, vitam æternam mere-
ri, nec indigebat auxilio divino, nisi quantum ad hoc
quòd sciret quid facere deberet. secundum illud Psalmi
142. Docet me facere voluntatem tuam. Vel etiam di-
cipost, S. Doctorem, & alios SS. Patres, loqui
de hæresi Pelagii in secundo statu, non verò de
tertio, in quo post multas concertationes cum
S. Augustino habitas, & post damnatam ipsius
hæresim à Zozimo Papa, tandem gratiam interio-
rem, illuminantem intellectum, & excitan-
tem moraliter voluntatem, admittere coactus
est, ut constat ex testimoniis Augustini supra ad-
ductis, & magis patebit ex dicendis articulo se-
quenti.

24 Dico tertio, licet Pelagius auxilium possibili-
tatis, seu quòd dat nobis posse, admisit, auxi-
lium tamen voluntatis & actionis, seu quòd dat
nobis velle & operari, reiecit.

Pater hoc ex Augustino libro de gratia Chri-
sti capite tertio ubi de Pelagio sic ait: Cum tria
constituantur atque distinguantur quibus divina mandata dicunt
impleri, possibilitatem, voluntatem & actionem, possibilitatem
scilicet quâ potest homo esse iustus: voluntatem,
quâ vult esse iustus, actionem, quâ iustus est, horum trium
primum, id est possibilitatem, datam constituitur a creatore
nature, nec esse nostra potestate, sed eam nos habere et-
iam si nolimus, duo vero reliqua, id est voluntatem & ac-
tionem, nostra esse asserit, atque ita nobis tribuit, ut non
nisi à nobis esse contendat. Denique gratia Dei non ista
duo, quæ nostra omnino esse, id est voluntatem & ac-
tionem, sed illa quæ in potestate nostra non est, & nobis ex
Deo est, id est possibilitatem, perhibet adiuvari, tanquam

illa quæ nostra sunt; hoc est voluntas & actio, tam sibi va-
lentia ad declinandum à malo, & faciendum bonum, nec
divino adiutorio non indigent: illud verò quòd nobis ex
Deo est, hoc sit in voluntate, id est possibilitas, ut semper
gratia adiuvetur auxilio. Et capite sequentis, sic Pe-
lagium inducit loquentem: Nos scitria ista distin-
guimus, & certum velut in ordinem digesta partemur.
Primo loco posui statum, secundo velle, tertio esse. Primum
in natura, id est posse, ad Deum proprie pertinet, qui il-
lud creatura sue contulit: duo vero reliqua, hoc est velle
& esse, ad hominem referenda sunt, quia de arbitrij fonte
descendunt. Ergo in voluntate & opere bono laus homi-
nis, in velle & hominis & Dei, qui ipsius voluntatis & ope-
ris possibilitatem dedit, quique ipsam possibilitatem,
gratia sua adiuvat semper auxilio: quòd verò homo po-
test velle bonum & que perficere, solus Dei est. Et pau-
lò post: Per generaliter universa complentur, quòd pos-
sumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est quò
hoc posse donavit, qui hoc posse adiuvat: quòd verò bene
vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, nostrum est,
qui hac omnia verè etiam in malum possumus. Et
capite quinto ejusdem libri Augustinus loquens
de Pelagio, sic ait: Possibilitatem, voluntatem, ac-
tionem, tantâ subtilitate curavit distinguere, ut quan-
documque legimus vel audimus divina gratia adiuvo-
rium constitui, sit in lege & doctrina, siue ubilibet
constituit, sciatis quòd loquitur, nec careamus ali-
ter eum intelligendo quàm sentit. Scire quippe debemus,
quòd nec voluntatem nostram, nec actionem, divi-
no adiuvari credit auxilio, sed solam possibilitatem vo-
luntatis, atque operis, quam solum ex his tribus nos
habere asserit ex Deo: tanquam hoc sit infirmum,
quòd ipse Deus posuit in natura; cetera verò duo quæ
nostra esse volunt, ita sunt firma, & fortia, & si-
bi sufficientia, ut nullo indigeant eius auxilio; & i-
ded non adiuvet ut velimus, non adiuvet ut agamus,
sed tantummodo adiuvet, ut velle & agere valeamus.

Denique idem sanctus Doctor capite quadra-
gesimo septimo totam de auxilio gratiæ con-
troversiam ad hoc quum reducit, ut Pelagius
non solum possibilitatem, sed etiam voluntatis
& actionis auxilium contineatur, & subdit: Si
ergo consenserit nobis (Pelagius) non solum possibilitatem
in homine, sed ipsam quoque voluntatem & ac-
tionem dimittis adiuvari, nihil de adiutorio gratiæ Dei,
quantum arbitror inter nos controversari relinquetur.

Habemus ergo ex Augustino, Pelagianis ad-
mississe auxilium possibilitatis; auxilium autem
voluntatis & actionis repudiasse. Habemus &
utriusque auxilii triplicem discrimen: auxilium
possibilitatis pertinet ad actum primum, & po-
tentiam rationis ac liberæ, in qua recipitur, in-
differentiam ad agendum vel non agendum im-
mitte: nihil proinde aggredditur nisi excitatum;
nihil agit nisi actum, nihil exequitur nisi im-
petatum, nihil influit nisi decretum, nihil mo-
vet nisi motum, nihil efficit nisi applicatum; non
procedit ad actionem nisi impulsus, non per-
venit ad effectum nisi directum: auxilium au-
tem voluntatis & actionis, voluntate nunc vo-
litionem & actionem infallibiliter efficit, & in-
dissolubili nexa potentiam cum actu coniungit,
nobisq; adhibetur ut ipsa velimus & agamus,
non autem ut velle & agere valeamus. Unde ta-
le auxilium, tetrum, horribile, funestum, necessi-
tans, ac liberatis humanæ ultimam, ut ita dicam
vulnus, Pelagianis visum est, ut patebit ex dicen-
dis articulo sequenti.

Quæres, an auxilium illud possibilitatis quòd Pe-
lagiani admittunt, esset verè auxilium sufficiens?

Respon-

Respondeo negativè: quia illa omnia, quibus Pelagiani dicebant naturalem arbitrii libertatem & possibilitatem adjuvare, compellegerunt, doctrinam, exemplum Christi, illuminationem intellectus, & moralem excitationem voluntatis non sufficiunt ad reddendum hominem perfectè, & completè potentem ad actus supernaturales eliciendos, sed insuper requiritur virtus aliqua supernaturalis, physicè movens ac immutans voluntatem, seu motio quædam virtuosa ordinis supernaturalis, vel, ut Augustinus loquitur, *ministratio spiritus & virtutis*. Ratio est, quia cum voluntas sit non solum principium morale, sed etiam physicum actuum supernaturalium quos elicit, e.g. actus charitatis, aut contritionis, ut de impotente reddatur completè potens ad eos eliciendos, prius, saltem naturā, quam operetur, debet non solum moraliter, sed etiam physicè moveri seu immutari, virtutem aliquam motivam, seu motionem virtuosam recipiendo. Unde in Tractatu de actibus humanis, fusè ostendimus, eos qui gratiam moraliter tantum prævenientem & excitantem admittunt, & physicè præmoventem repudiant, auxilium verè sufficiens de medio tollere, illudque, sublatā gratiā physicè prædeterminantē, non posse salvari.

Vari. Dico quariò, Pelagium admississe gratiam cooperationis, aut coëfficientiæ, seu concursum simultaneum ordinis supernaturalis.

29 Probatur primò ex D. Hieronymo lib. 1. contra Pelagium in principio, ubi refert Pelagium dixisse: *Quidquid in me boni habeo, illo suggerente & adiuvante completur*. Et interroganti Hieronymo, quod agi bonum; tuum est, an Dei? Respondit: *Deum est & Dei, ut ego operer, ille adiuvat*.

30 Probatur secundò ex Divo Augustino in Enchirid. capite trigésimo secundo, & libro primo ad Simplician. quæstione secunda ubi clarè supponit Pelagium docuisse, Propterea dictum esse ab Apostolo, non est volentis, neque agentis, sed miserentis Dei, quia ex utroque sit, id est ex voluntate hominis, & misericordia Dei, tanquam diceretur: non sufficit sola voluntas hominis, si non sit etiam misericordia Dei: Ergo supponit Pelagium admississe gratiam cooperationis & coëfficientiæ, seu concursum simultaneum ordinis supernaturalis.

31 Quantum verò ad concursum simultaneum ordinis naturalis, plures existimant Pelagium illum negasse, aitenim apud Divum Hieronymum in Epistola ad Ctesiphontem: *Si vultis currere digitum, movere manum, ambulare, stare, sedere, scribere, sputa jacere, &c. semper mihi auxilium Dei necessarium est*: Alii verò contendunt, ipsum nomine auxilij quod negavit, intellexisse influxum in causam, seu motionem & applicationem ipsius causæ: Tum quia illum concursum negabat, qui est complementum potentie ad operandum, ut patet ex verbis illis Pelagij ad Divum Hieronymum in eadem Epistola relatis: *Dei mihi arbitrii libertatem, quid rursus te ingeris, ut nihil facere possim, nisi tu in me tua dona compleveris*: Tum etiam, quia hunc concursum negabat ad nostros actus, quem existimabat liberum arbitrium tollere; dicebat enim apud eundem Hieronymum: *Non ultra indigemus Dei auxilio, ne si indigerimus, liberum frangatur arbitrium*: concursus autem purè simultaneus & indifferens, ne apparenter quidem nocet libertati, cum voluntatem non determinet, sed ab ea potius determinetur & applicetur. Addunt, quod idem Pelagius

A negabat concursum Dei, quia asserbat unumquemque arbitrio suo regi, ut refert idem sanctus Doctor in eadem Epistola ad Ctesiphontem: concursus autem quo causæ secundæ reguntur, debet in ipsas influere, easque ad agendum movere & applicare; cum usus qui est proprius actus domini, seu regiminis, nihil aliud sit quam applicatio rei ad operationem, ut docet sanctus Thomas supra quæstione decima sexta, art. 1.

Sed hujus difficultatis resolutio parum refert ad intelligentiam hæresis Pelagianæ; quia contentio SS. Patrum cum Pelagianis fuit præcipuè de necessitate gratiæ propriè dictæ, non verò de concursu generali: unde licet Durandus, Ludovicus à Dola, & alii, omnem concursum Dei tam prævium quam simultaneum negent, Pelagianis tamen & hæreticis non annumerantur.

Dico ultimò: Pelagiani docebant gratiam remissivam peccati esse donum internè renovans seu instaurans naturam, & non extrinsecè tantum peccata condonans. Est contra Suarem, Becanum, & alios Recentiores, existimantes Pelagium non agnovisse gratiam internam sanctificantem nos, & à peccatis mundantem, animamque ornantem & decorantem; sed docuisse justificationem esse meram peccatorum condonationem, seu non imputationem, eò ferè modo quo Hæretici nostri temporis dogmatizant.

C Probatur conclusio apertè ex Epistola Pelagij ad Demetriadem, ubi expresse docet per gratiam Christi nos in meliorem hominem transformari; nos expiari & mundari; nos filios Dei, & coheredes Christi fieri; Ecclesiam sine macula rugaque reddi. Sic enim ait capite octavo. *Si ante legem, & multò ante nostri Salvatoris adventum, jussit quidam vixisse & sancti transferantur, quanto magis post illustrationem adventus eius, non id posse credendum est, qui instructi per Christi gratiam, & in meliorem hominem renati sumus; qui sanguine eius expiati atque mundati, illiusque exemplo ad perfectam iustitiam incitati, meliores illi esse debemus, qui ante legem fuerunt; meliorem etiam quam fuerint sub lege*. Ecce capite vigesimo secundo. *Nobilitas ad hoc tantum memineris, ut cum claritate generis, mortui sanctitate contendas; & cum nobilitate corporis, animi virtute nobilior proficias, magisque illa virtute glorieris, qua filios Dei, & coheredes Christi facit*. Item capite vigesimo quarto. *Saculi virgines quæ se nuptiis præparant, &c. mirà se sollicitudine formare student, &c. Non minorem sponsus tuus requirit ornatum, qui cum universam Ecclesiam, salutaris aqua lavacro purificatam, sine macula rugaque reddiderit, quotidie cupit tam fieri pulchriorem*.

Idem colligitur ex eo quod Pelagiani docebant, quod nimirum et si baptismus non esset necessarius parvulis ad culpam originalem delendam (quam nullam ex Adam trahi existimabant) requirebatur tamen ad alios effectus, quos gratia baptismalis confert, nempe ad sanctificationem animæ, interiorem ejus renovationem, adoptionem in filium Dei, & regni cælestis aperitionem: Quòd ut probarent, adducebant S. Joannis Chrysostomi testimonium, quo gratiæ baptismalis dotes elegantissimè describuntur. Verba Juliani apud sanctum Augustinum libro 1. contra Julian. capite 6. hæc sunt: *Sanctus Ioannis Constantopolitanus negat esse in parvulis originale peccatum; in ea quippe homilia quam de baptizatis habuit: Benedictus, inquit, Deus, qui facit mirabilia solus, qui fecit universa, & convertit universa*. Ecce liber-

libertatis serenitate perfruuntur, qui tenebantur pauld ante capivi, & cives Ecclesie sunt, qui fuerunt in peregrinationis errore; & iustitia in sorte versa. Qui fuerunt in confusione peccati. Non enim tantum sunt liberi, sed & sancti, sed & iusti: non solum filij, sed & heredes, sed & fratres Christi: non tantum fratres Christi, sed & coheredes: non solum coheredes, sed & membra: non tantum membra, sed & templum: non tantum templum, sed & organa spiritus. Vides quot sunt baptismi largitates: & nonnulli deputant celestem gratiam in peccatorum tantum remissione consistere: nos autem honores computavimus decem. Hac de causa etiam infantes baptizamus, cum non sint inquinati peccato, ut eis detur vel addatur sanctitas, iustitia, adoptio, hereditas fraternitas Christi, ut eius membra sint. Hæc Julianus: quibus aperte proficitur, gratiam baptismalem esse donum aliquod supernaturale in anima receptum, & variis dotibus eam exornans. Unde idem Julianus apud Augustinum libro primo operis imperfecti folio quinquagesimo octavo loquens de gratia baptismali, ait: Hanc gratiam locupletem spiritualibus donis credimus, & multis optimam muneribus, ac reverendam virtutibus. Quæ verba aperte declarant, Pelagianorum gratiam habitualem sanctificantem, tum etiam virtutum supernaturalium habitus infusus admisisse, & solum de gratia actuali, seu auxiliante, inter ipsos & Augustinum fuisse controversiam.

Obijcit primò Suarez Prologom. 5. de gratia numero quinto Pelagius negavit, vel certe non agnovit actus supernaturales: Ergo pariter sustulit dona gratiæ habitualia; ablatis enim actibus, necesse est habitus tolli, cum habitus sint propter actus.

Sed negatur consequentia: Tum quia aliter esse potuit Pelagius gratiæ habitualis usus, tamen nihil eam ad ipsos actus, sed solum voluntatem hominis conferre censeret; potuit enim illam admittere ad sanctificandam, mundandam, & ornandam animam, aliasque prærogativas acquirendas, de quibus supra Julianus ex D. Chrysostomo disseruit: Tum etiam quia cum gratia habitualis per liberum arbitrium, quod est proxima ratio agendi, determinetur ad operandum Pelagiani nullum auxilium supernaturale applicans liberum arbitrium ad agendum admitteret, exultare potuerunt nullos dari actus supernaturales, et si dona gratiæ habitualia in anima & ejus potentis residerent.

Obijcit secundò ibidem numero quinquagesimo & libro septimo de gratia capite sexto. Licet Pelagius gratiam remissionis peccatorum admisit, dixit tamen illam non fieri per inter-oris gratia subministrationem, ut dicit Augustinus cum alio Episcopo Epistola nonagesima quinta. Et libro de gratia Christi capite secundo ait sensisse Pelagium nos salvari, adjuvique non aliqua subministratione virtutis, sed viribus propria voluntatis: & id in Concilio Milevitano can. 3. damnatur, quia gratiam ad solam remissionem peccatorum valere dicebat. Ergo Pelagius per remissionem peccatorum non intellexit infusionem gratiæ sanctificantis, aliorumque habituum supernaturalium quos eam comitantur, sed nudam & simplicem peccatorum condonationem.

Respondeo triplicem ad minus in hoc discursu Sinaris contineri hallucinationem: Primam quidem in hoc quod ait sanctum Augustinum cum aliis Episcopis (Aurelio Felice, Alipio, Evodio, & Possidio) in illa Epistola quam ad Innocentium Panam scripserunt, dixisse quod Pelagius intellexit remissionem peccatorum fieri absque infusione gratiæ habitualis. Equidem verba Episcoporum esse falso: Sive gratiam dixerit (Pelagius) esse liberum arbitrium, sive gratiam esse remissionem peccatorum, sive gratiam esse legem præceptum, nihil eorum dicit quod per subministrationem spiritus sancti pertinet ad concupiscentias, tentationesque vendandas. Quæ verba tanè longè aliud significant atque sonant, quàm quod Author non persuadere conatur. Significatur quippe remissionem peccatorum, quocumque modo illa intelligatur, non esse illud adjuvamentum divinæ gratiæ, quod per subministrationem, sive inspirationem spiritus sancti datur ad superandas concupiscentiarum tentationes, quæ contra animum jam purgatum peccatorum remissione confurgunt: illa enim habet esse fixum & permanentem, illud cum actione huius & transiit, illa præterita peccata delentur, illud futura cavetur, illa peccator justificatur, illud iustus perit ut iuste vivat; denique pro illa impetranda dictum est, ac dicitur quotidie a fidelibus: *Dimitte nobis debita nostra*, pro isto verò: *Et ne nos inducas in tentationem*.

Secunda hallucinatio est, quòd ille Auctor existimat, Augustinum libro de gratia Christi capite secundo per subministrationem spiritus sancti intellexisse collationem gratiæ habitualis, quasi velit Pelagium negasse in ipsa remissione peccatorum gratiam habitualem infundi. At verò sanctus Augustinus non ait quod Suarez refert, nempe nos salvari, adjuvatos non aliqua subministratione virtutis, sed viribus propria voluntatis (quo loquendi modo, videri posset, sanctum Augustinum significare, Pelagium negasse gratiam habitualem) sed ait sensisse Pelagium, nos adjuvari ut non peccemus, non aliqua subministratione spiritus sancti, sed viribus propria voluntatis, quid sibi dimissione peccatorum præstitum fuerit per actus singulos recordantes. Quæ tanè verba non indicant questionem esse de gratia habituali quæ remittuntur peccata, sed potius de auxilio actuali ad non peccandum necessario.

Tertia hallucinatio, & omnium maxima, consistit in eo, quod asserit Pelagium damnari in Concilio Milevitano, quòd in remissione peccatorum gratiam habitualem non intelligeret. De hac enim gratia nulla erat controversia, nulla disceptatio inter Pelagianos & sanctos Patres, ut luculentis Augustini testimoniis jam satis superque demonstravimus, & ingenue fateretur Valsequez hic disputatione centesima nonagesima sexta, capite tertio, numero decimo tertio, ubi sic ait: Scholastici qui putant cum Pelagio disputatum fuisse de necessitate gratiæ habitualis, & remissionis peccatorum, ad servanda præcepta, ignorant vocis & historia lapsi sunt, existimantes nomine gratiæ intelligi gratiam habitualem, & remissionem peccatorum. Capitale ergo dogma Pelagii quod in Concilio Milevitano damnatur, & à sancto Augustino variis in locis confutatur, consistit in eo quod ille hæreticus docebat, petendam quidem esse gratiam, quæ remissionem peccatorum affert; & dici posse: *Dimitte nobis debita nostra*; tamen illud quod sequitur, *Ne nos inducas in tentationem*, non sic accipiendum, quasi postulari debeat auxilium ad superandas tentationes necessarium. Hoc, inquam in Concilio Milevitano canone tertia damnatur; non verò quod ait Suarez, ut patet ex verbis Concilii, quæ sunt hæc: *Placuit ut quicumque dixerit, gratiam Dei, in qua iustificamur per Iesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum*.

Tom. IV.

rum valere quae jam commissae sunt, non etiam ad adiutorium quo non committantur, anathema sit.

Obijcies tertio: Divus Augustinus subtilissimus ac diligentissimus haeresi Pelagianae indagator, libro de gratia Christi capite trigesimo affirmat se nusquam in scriptis Pelagii & Celestii gratiam quae iustificatur, & quae charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, potuisse invenire: Ergo Pelagiani habitualis gratiae dona non admiserunt.

Respondeo Augustinum non dicere absolute quod in scriptis Pelagii & Celestii gratiam illam quae iustificatur, &c. inveniri non potuerit, sed addere, quemadmodum confitenda est, quia gratia habitualis, & habitus infusus qui ab ipsa dimanant, admitti debent, non solum ad sanctificandam, mundandam, & ornandam animam, sed etiam ad influendum unam cum eius potentis in actus supernaturales; ob quem cum Pelagius, ut supra annotavimus, talia dona non admittit.

ARTICULUS IV.

An Pelagiani veram Christi gratiam, quae facit velle & operari, tandem aliquando admiserint?

Affirmat Iansenius libro sexto de haeresi Pelagiana capite primo & sequentibus; atque hunc dicit fuisse quartum & ultimum haereticis Pelagianae statum, cepisseque postquam Zozimus Papa, strenuissimè cooperantibus Africanorum Episcoporum litteris & Conciliis, haeresim Pelagianam solemniter damnavit: nam cum antea Pelagiani veram Christi gratiam, quae facit nos velle & operari, respuerent, damnatione illa oppressi, talem gratiam admittere coacti sunt. Verum eam dupliciter alterarunt & corruerunt: Primo quia dixerunt talem gratiam non dari gratis, sed ex merito; & proinde non esse gratiam, quia, ut ait Apostolus Romanorum undecimo. *Si gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia non esset gratia*: haec autem merita illam praecedentia dicebant esse cupiditatem boni, id est, primam bonam voluntatem credendi & convertendi se ad Deum, sive bene vivendi; idque affirmabant, ne alioquin invito & reluctanti homini diceretur imitari divinitus cupiditas boni, si videlicet non dum volenti daretur gratia, quae vellet. Secundo quia docuerunt veram illam gratiam, licet ad adipiscendam perfectionem & salutem utilis sit, non tamen simpliciter esse necessariam, sed tantum ut facilius obtineatur.

Primum probat Iansenius ex celebri D. Augustini testimonio, desumpto ex libro de gratia Christi, quem post damnatam haeresim Pelagii prius ab Innocentio I. deinde à Zozimo, sanctus Doctor conscripsit, ut ipse ait libro secundo Retract. capite quinquagesimo. Nam capite vigesimo tertio huius libri haec verba Augustinus: *Qui currit ad Deum, & a Deo se regi cupit, id est voluntatem suam ex eius voluntate suspendit; qui ei adhaerendo iugiter, unus secundum Apostolum cum eo sit spiritus, non hoc nisi de arbitrio efficit voluntate, quae qui bene utitur, ita se inquit, totum tradit Deo, omnemque suam mortificat voluntatem, ut cum Apostolo possit dicere: Vivo ego, sed non ego, vivi autem in me Christus; pñique cor suum in manu Dei, ut illud quod voluerit Deus ipse declinet.* Quibus Pelagii verbis

A subjungit sanctus Augustinus: *Magnum profecto adiutorium divinae gratiae, ut cor nostrum, quod voluerit Deus ipse declinet. Sed hoc tam magnum adiutorium, sicut ipse de spiritu sancto mormur, cum sine illo adiutorio non nisi de arbitrio libertate ad Dominum currimus, ab eo nos regi cupimus, voluntatem nostram ex eius voluntate suspendimus, eique adhaerendo iugiter, unus cum illo esse spiritus. Haec scilicet tam ingentia bona non nisi arbitrio secundum istum efficitur libertate, ut hu praecedentibus meritis sic eius gratiam consequamur, ut cor nostrum quod voluerit Deus ipse declinet.*

Alterum colligit Iansenius ex eodem sancto Doctore sermone decimo tertio de verbis Apostoli capite undecimo ubi haec scribit: *Nonsicur quidam dicere coeperunt, coartati sunt aliquando gratiam confiteri, & benedicimus Deum, quia rei hoc aliquando dixerunt: accedendo enim poscere potuerunt, & ad id quod verè rectum est pervenire. Iam verò dicunt adiutricem esse gratiam Dei ad facilius faciendum. Ista sunt verba eorum. Ad hoc dedit, inquit, Deus gratiam suam hominibus, ut quod facere iubentur per liberum arbitrium, facilius implere possint per gratiam. Volo facilius, remio difficilior, tamen & remio itur: iumentum facilius, pedibus difficilior; sed tamen & pedibus pervenitur. Non est sic, &c.*

Adducit etiam versus D. Prosperii in catmine de ingratia, ubi de Pelagianis canit:

*Sic vitam aeternam acquiri potuisse, vacante
Hac ope, quae legem supereminet: ut sine lege
Ex naturali potius virtute capessat?
Nunc autem studiis vergentibus in mala multa,
Crevisse auxilium: non quo cessante, salutem
Non cuperet per difficiles natura laqueos:
Sed quo conatus operum, afflictaeque iuvante,
Propositam cuius ferret mens libera palmam.*

Quibus versibus aperte declarat Pelagianos existimasse, corruptam hunc per peccandi consuetudinem naturam, nos egere quidem ad bene vivendum quotidiano gratiae auxilio, à lege & doctrina distincto, illud tamen solum ad facilius operandum requiri. Unde Augustinus libro de haeresibus, haeresi octogesima octava Pelagianorum haeresim describens, ait: *Denique Pelagius à fratribus increpatus, quod nihil tribueret adiutorio gratiae Dei ad eius mandata faciendae, correptioni eorum eatenus cessit, ut non eam libero arbitrio praeponeret, sed infideli calliditate supponeret, dicens ad hoc eam dari hominibus, ut quae facere per liberum arbitrium iubentur, facilius possint implere per gratiam.*

Nihilominus dicendum existimo, his quidem testimoniis manifestè probari, Pelagianos post damnatam ipsorum haeresim sub Zozimo Papa, cepisse deflectere ad Semipelagianismum, & docere gratiam ex meritis bonae voluntatis dari, eamque solum ad facilius operandum requiri; non tamen probari tunc eos veram Christi gratiam, quae facit nos velle & operari, admisisse. Primum liquet ex testimoniis adductis. Secundo verò probatur ex Divo Augustino libro de gratia Christi, quem, ut supra annotavimus, post damnatam haeresim Pelagii à Zozimo Papa edidit: nam postquam capite vigesimo tertio retulit verba supra dicta Pelagii, quibus auxilium efficax ad volendum & agendum admittere videbatur, & postquam subdidit: *Magnum profecto adiutorium divinae gratiae, ut cor nostrum quod voluerit Deus ipse declinet*; deinde capitibus sequentibus aperte declarat, Pelagium in suo iocundo per errore perstitisse, & his non obstantibus, gra-